

IUS CANONICUM ET CARITAS*

Libenter in hoc Symposio intervenio, quia scio nihil aliud nisi amorem erga Ecclesiam eiusque disciplinam Vos compellere ad perfectiorem reddendam administrationem iustitiae et in genere operositatem pastorem, quatenus haec praescriptis iuris canonici promovetur et in iisdem adiumentum invenit.

Quapropter in hac sessione inaugurali breviter sublineare velim relationem ius canonicum inter et caritatem, aliquas ad rem assertiones ex Magisterio Pontificio Pii XII, Pauli VI et Joannis Pauli II in lucem ponendo¹, prae oculis particulari modo habito maximam partem eorum, qui huic Symposio intersunt, munera apud tribunalia ecclesiastica exercere.

Pius XII

1. Pius XII, iam initio sui pontificatus, die nempe 24 mensis iunii anno 1939, alumnos, qui in Urbe ad sacerdotium efformabantur, monuit: «*Perperam discernitur Ecclesia iuridica ab Ecclesia caritatis. Non ita, sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est,*

* Brevis discursus inauguralis in tertio Symposio Iuris Canonici habitus, quod in loco v. d. Spišské Podhradie (Slovachia) diebus 24-27 augusti 1993 celebratum est. Quoad contextum ecclesialem, in quo idem et duo praecedentia Symposia collocantur, cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Il rinnovamento canonistico nella Slovacchia*, in *Ephemerides Iuris Canonici* 49 (1993).

¹ Quoad assertiones in lingua vernacula prolatas, eas in latinum sermonem vertam. In notis autem citabo textum originale.

eadem est Ecclesia Christi, Ecclesia caritatis, universaque christianorum familia»².

Hanc rem — uti in memoriam revocavit Paulus VI³ — ipse Pius XII iterum repetiit et gravibus atque solemnibus verbis evolvit in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis*, diei 29 iunii 1943, in quibus inter alia haec leguntur: «*Quapropter funestum etiam eorum errorem dolemus atque improbamus, qui commenticiam Ecclesiam sibi somniant, utpote societatem quandam caritate alitam ac formatam, cui quidem — non sine despicentia — aliam opponunt, quam iuridicam vocant. At perperam omnino eiusmodi distinctionem inducunt:... Nulla igitur veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter invisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum Pastorum Doctorumque a Christo acceptum munus; quippe quae, — ut in nobis corpus animusque — se invicem compleant ac perficiant, et ab uno eodemque Salvatore nostro procedant*»⁴.

Paulus VI

2. Paulus VI, ad Em.mos Patres Cardinales et ad Consultores Pontificii Consilii Codici Iuris Canonici

² AAS 31 (1939) 250.

³ «Pio XII, Nostro venerato predecessore, fin dal 1939, all'inizio del suo pontificato, ammoniva gli alunni dei seminari romani che "a torto si distingue una Chiesa giuridica dalla Chiesa della carità. Non è così; ma quella Chiesa, ch'è giuridicamente fondata, con a capo il Pontefice, è la medesima Chiesa di Cristo, la Chiesa della carità e la famiglia universale dei cristiani»; concetto questo che l'Enciclica *Mystici Corporis* ripeterà e svolgerà con gravi e solenni parole» (*Allocutio ad Rotam Romanam*, diei 25 ianuarii 1966, in AAS 58 [1966] 153).

⁴ AAS 35 (1943) 224. Ibidem in *Appendice* (p. 29) idem textus invenitur etiam in versione italiana.

recognoscendo die 20 mensis novembris anno 1965 loquens — quandonam nempe non pauci, Spiritum Concilii false revocantes, aversionem erga ius canonicum profitebantur — dixit: — «*Sunt... qui distinguant inter Ecclesiam, quam "iuridicam" vel "a muneribus" appellant, et Ecclesiam, cui nomen "caritatis" adiciunt, asseverantes caritatis praeceptum omnium summum esse primasque partes ei tribui oportere, mala autem, quibus Ecclesia vexetur, ex "iuridismo" illo, uti vocant, esse exorta. Attamen, — perspicaciter et pulchre animadvertit Paulus VI — quemadmodum anima a corpore seiungi nequit, quin mors subsequatur, Ecclesia, quam a "caritate" nuncupant, sine Ecclesia "iuridica" exsistere nequit*»⁵.

3. Paulo postea idem Romanus Pontifex in Allocutione ad Rotam Romanam, die 25 mensis ianuarii anno 1966 habita, non modo praedicta citavit verba praedecessoris sui Pii XII⁶, sed etiam, mentem propriam plane **ad activitatem iudicalem** vertens, persecutus est: «*Hac cum revocatione ad tam sublimem doctrinam et tam magni auctoritatis fontes, velimus iterum recognoscere legitimitatem et necessitatem vestrae functionis... indicare peculiarem stylum qui ab isto servitio provenit, eo quod idem exprimit, etsi cum notis specificis, caritatem pastorem Ecclesiae*»⁷.

Alia in Allocutione ad Iudices Rotae Romanae

⁵ AAS 57 (1965) 986.

⁶ Cf. supra, nt. 3.

⁷ «Vogliamo con questo richiamo a così alta dottrina e così autorevoli fonti riconoscere ancora una volta la legittimità e la necessità della vostra funzione... indicare lo stile peculiare che a cotesto servizio deriva per il fatto d'essere espressione, sia pure con suoi specifici caratteri, della carità pastorale della Chiesa» (AAS 58 [1966] 153-154).

directa, diei nempe 8 februarii 1973, Paulus VI asseruit: «*Et vos, quando vestras pronuntiatis sententias "solum Deum prae oculis habentes" servitis et adoratis... Deum Amoris*»⁸.

Joannes Paulus II

4. Joannes Paulus II, recenter de novo Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium in aula Synodi episcoporum die 15 octobris 1990 loquens — post quam gaudium expressit quod per eundem Codicem recognitio perfecta est totius Ecclesiae Catholicae disciplinae, quae Codice Iuris Canonici, Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium et Constitutione Apostolica *Pastor bonus* de Curia Romana constat — ex profundo corde notavit: «*Mihi, rerum veritatem perscrutanti, non extraneum videtur declarare etiam Codices... habendos esse peculiarem expressionem praecepti caritatis, quod Iesus, Dominus Noster in ultima Cena nobis reliquit quodque Concilium Vaticanum II, loquens de populo messianico habente Christum Caput, condicionem filiorum Dei libertatem et dignitatem, finem Dei Regnum, affirmat esse eidem populo, ad extremum, unam legem*»⁹. *Huius legis lumine et fundamento tria supra memorata "Legum corpora" elaborata sunt*»¹⁰.

In Constitutione Apostolica *Sacrae disciplinae leges*, qua Codex Iuris Canonici Ecclesiae latinae promulgatus est, Joannes Paulus II rem ita explicavit:

⁸ «E voi, pronunciando le vostre sentenze *solum Deum prae oculis habentes* servite e adorare proprio [il] Dio d'Amore» (AAS 65 [1973] 103).

⁹ Cf. *Lumen gentium*, n. 9.

¹⁰ AAS 83 (1991) 488-489.

«Satis apparet finem Codicis minime illum esse, ut in vita Ecclesiae christifidelium fides, gratia, charismata ac praesertim caritas substituantur. Ex contrario, Codex eo potius spectat, ut talem gignat ordinem in ecclesiali societate, qui, praecipuas tribuens partes amoris, gratiae atque charismati, eodem tempore faciliorem reddat ordinatam eorum progressionem in vita sive ecclesialis societatis, sive etiam singulorum hominum, qui ad illam pertinent»¹¹.

5. Specifiche ad administrationem iustitiae quod attinet, non una vice Petri Successor, feliciter regnans, notavit eandem activitatem Ecclesiae, ad normam iuris peragendam, cum amore et caritate coniecti caritatemque exprimere.

Prima vice ad Iudices Rotae Romanae loquens, die nempe 17 februarii 1979, Joannes Paulus II notavit functionem iudiciariam Ecclesiae in servitio esse «veritatis et caritatis pro aedificatione Corporis Christi»¹². Eadem in occasione animadvertit: «Iudex ecclesiasticus... ultra iustitiam tendere debet ad aequitatem, et ultra hanc ad caritatem»¹³.

Eodem anno, die 13 decembris, ad Iudices aliosque ecclesiasticorum tribunalium Officiales, apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, VII Reno-

¹¹ AAS 75 (1983) pars II, p. XI.

¹² «Vi saluto tutti di vero cuore e sono lieto di questa occasione che mi permette di incontrare, per la prima volta, coloro che incarnano per eccellenza la funzione giudiziaria della Chiesa al servizio della verità e della carità per l'edificazione del Corpo di Cristo, e di riconoscere in essi, come pure in tutti gli amministratori della giustizia... i preziosi collaboratori all'attività pastorale della Chiesa stessa» (AAS 71 [1979] 422).

¹³ «Il giudice ecclesiastico... al di là della giustizia, egli dovrà tendere all'equità, e, al di là di questa, alla carità» (*ibidem*, 424, n. 2).

vationis cursum participantes, coram admissos, Joannes Paulus II notavit: «*Est enim Ius Ecclesiae non humanae tantum iustitiae quoddam signum sed etiam communionis altioris vitae in Christo significatio, ita ut omnis canonica iustitia fulgeat caritate, quemadmodum et aequitas canonica ipsa est benignitatis et caritatis fructus*»¹⁴; immo et rhetorice exclamavit: «*Quid esset ius Ecclesiae sine caritate...?*»¹⁵; atque exhortatus est: «*Hoc vestrum sit iustitiae servitium, quod caritatis divinae est speculum*»¹⁶.

Ad modum sese gerendi iudicis quod attinet, idem Romanus Pontifex die 4 februarii 1980 ad Rotam Romanam dixit: «*Iudex ecclesiasticus... ligatur veritate, quam inquirere curat cum sedulitate, humilitate et caritate*»¹⁷.

6. In magistrali Allocutione ad Rotam Romanam de causis nullitatis matrimonii ob incapacitatem psychicam, diei 5 februarii 1987, Joannes Paulus II, non solum animadvertit arduum munus iudicis in iisdem causis procul dubio esse «*ministerium veritatis et caritatis in Ecclesia et pro Ecclesia*», sed et perspicaciter notavit — et hoc velim particulari modo sublineare — etiam **denegatam declarationem nullitatis matrimonii** esse ministerium caritatis:

— «*Est ministerium caritatis erga communitatem ecclesialem, quae a scandalo praeservatur videndi de facto destructum momentum matrimonii christiani propter multiplicationem exaggeratam et quasi machi-*

¹⁴ AAS 71 (1979) 1530, n. 5.

¹⁵ *Ibidem*, n. 6.

¹⁶ *Ibidem*, 1531, n. 9.

¹⁷ «Il giudice ecclesiastico... è, quindi, legato dalla verità, che cerca di indagare con impegno, umiltà e carità» (AAS 72 [1980] 173, n. 2).

nalem declarationum nullitatis in casu naufragii matrimonii, sub praetetu alicuius immaturitatis vel debilitatis psychicae contrahentium.

— *Est servitium caritatis etiam erga partes, quibus ob amorem veritatis denegari debet declaratio nullitatis, quatenus ipsae hoc modo adiuvantur ad haud sese decipiendum circa veras causas naufragii eorum matrimonii et praeservantur a probabili periculo inveniendi easdem difficultates in nova unione, perquisita tamquam remedium ad primum naufragium, haud adhibitis primum conaminibus superandi obstacula quae experti sunt in eorum matrimonio valido.*

— *Et demum est ministerium caritatis erga alias institutiones vel structuras pastorales Ecclesiae, quatenus Tribunal ecclesiasticum, recusans sese transformare in aliquam viam facilem pro solutione matrimoniorum naufragorum et conditionum irregularium intra coniuges, de facto impedit pigram efficere formationem iuvenum ad matrimonium... et stimulat augmentum curae in adhibendis mediis pro activitate pastoralis post-matrimoniali et pro illa specifica in casibus difficilibus»¹⁸.*

¹⁸ AAS 79 (1987) 1458-1459, n. 9. Divisio in paragraphos et emphasis sunt meae. En textus originalis: «L'arduo compito del giudice — di trattare con serietà cause difficili, come quelle concernenti le incapacità psichiche al matrimonio... — è certamente un ministero di verità e di carità nella Chiesa e per la Chiesa... È ministero di carità verso la comunità ecclesiale, che viene preservata dallo scandalo di vedere in pratica distrutto il valore del matrimonio cristiano dal moltiplicarsi esagerato e quasi automatico delle dichiarazioni di nullità, in caso di fallimento del matrimonio, sotto il pretesto di una qualche immaturità o debolezza psichica dei contraenti. È servizio di carità anche verso le parti, alle quali, per amore della verità, si deve negare la dichiarazione di nullità, in quanto in questo modo sono almeno aiutate a non ingannarsi circa le vere cause del fallimento del loro matrimonio e sono pre-

Conclusio

7. Solummodo aliquas indicavi assertiones Romanorum Pontificum nostrae aetatis de relatione ius canonicum inter et caritatem, peculiari ratione habita iuris quod apud tribunalia ecclesiastica applicatur, quae assertiones significativae apparent in ordine ad ius canonicum et navitatem iuridicam Ecclesiae recte intellegendam.

Ad rem — praeter alios adhuc textus qui directe praefatam relationem respiciunt — etiam ea opportune indicari possint quae a Romanis Pontificibus dicta sunt de natura pastoralis activitatis iudicialis Ecclesiae¹⁹ necnon de animo sacerdotali quo eadem activitas exerceatur oportet²⁰. Quae omnia brevitatis causa omitto et Vobis ulterius investiganda propono.

servate dal rischio probabile di ritrovarsi nelle medesime difficoltà in nuova unione, cercata come rimedio al primo fallimento, senza aver prima tentato tutti i mezzi per superare gli ostacoli sperimentati nel loro matrimonio valido. Ed è infine ministero di carità verso le altre istituzioni o organismi pastorali della Chiesa in quanto, rifiutando il Tribunale ecclesiastico di trasformarsi in una facile via per la soluzione dei matrimoni falliti e delle situazioni irregolari tra gli sposi, impedisce di fatto un impigritimento nella formazione dei giovani al matrimonio..., e stimola un aumento di impegno nell'uso dei mezzi per la pastorale post-matrimoniale (*Familiaris consortio*, 69-72), e per quella specifica dei casi difficili (*Ibid.*, 77-85)».

¹⁹ Ad rem cf. v. gr. Z. GROCHOLEWSKI, *Aspetti teologici dell'attività giudiziaria della Chiesa*, in AA.VV., *Teologia e Diritto Canonico*, Città del Vaticano 1987, 200, n. 6 una cum notis. Praeterea vide JOANNES PAULUS II, *Allocutio cit.* (cf. nt. 18), 1459, n. 9; et quoad haud genuinum conceptum activitatis pastoralis, ad administrationem iustitiae quod attinet, *Id.*, *Allocutio ad Rotam Romanam*, diei 29 ianuarii 1993, n. 6, in *AAS* 85 (1993) 1259.

²⁰ Ad rem cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Cause matrimoniali e «modus agendi» dei tribunali*, nt. 58, quae communicatio apparebit in

Non maneat mihi nisi votum Vobis exprimere ut vestra in campo iuris canonici operositas — et eam praesertim prae oculis habeo quae apud tribunalia ecclesiastica efficitur — vero amore Christi et Ecclesiae imbuta, actuose et cum vero animo sacerdotali exercenda, acitivitati pastoralis Ecclesiae efficaciter contribuat ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem.

✠ ZENON GROCHOLEWSKI

Actibus Symposii Internationalis Iuris Canonici, occurrente X anniversario promulgationis Codicis Iuris Canonici, in Civitate Vaticana diebus 19-24 aprilis 1993 celebrati.